



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XLII. Quosdam quæsisvisse reconciliationem cum Deo per Angelos, & illusos à Dæmone, qui est mediator fallax.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## V S V S.

1. Mirabilis fuit S. D. conversio, qui ex gravissimis vitiis luxuriæ, superbiæ, vanitatis, ita integre emerfit, ut non nisi pauculæ & vix culpabiles imperfectiones in ipso permanserint. Vbi nos hæremus? Sequamur, aut saltem sequi desideremus. Augustinus castus, humilis, seculi contemptor esse cœpit, & constanter permansit. Inspice & fac secundum exemplar conversionis ejus, qui peccasti secundum exemplum illius.
2. Non dignatur Deus cum mendacio possideri; hoc totum impedimentum conversionis & profectus nostri est, quia volumus in Deo & simul in creaturis delectari, & mentimur nobis ipsis, id posse fieri.

## C A P. XLII.

*Quosdam quasi vixisse reconciliationem cum Deo per Angelos, & illusos à Damone, qui est mediator fallax.*

1. **Q**uem invenirem, qui me reconciliaret tibi? An obeundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc: & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, exerentes potius quam tundentes pectora: & adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui, conspirantes & socias superbiæ suæ potestates aëris hujus, quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat, transfigurans se in angelum lucis.

Ephes. 2.  
2.

2. Et

2. Et multum illexit superbam carnem, quod carneo corpore ipse non esset. Erant enim illi mortales & peccatores: Tu autem Domine, cui reconciliari superbe quærebant, immortalis & sine peccato. *Mediator* <sup>1 Tim. 5.</sup> autem *inter Deum & homines*, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; ne in utroque hominibus similis, longe esset à Deo: aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. Fallax itaque ille mediator, quo per secreta iudicia tua, superbia meretur illudi, unum cum hominibus habet, id est peccatum; aliud videri vult habere cum Deo, ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortalis se ostendet. Sed <sup>Rom. 6.</sup> quia *stipendium peccati mors est*, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnatur in mortem. <sup>23.</sup>

## NOTÆ.

- a *Multi conantes redire ad te, &c.*) videtur significare aliquos superbia & curiositate seductos, dum divinas visiones & revelationes quærunt, incidisse in Diabolicas illusiones, deceptos à Dæmone transfigurante se in Angelum lucis.
- b *Mediator autem &c.*) Dæmon cum Deo communem ostendat immortalitatem, sed cum hominibus simile nihil habet nisi peccatum, & peccati supplicium. Quare non potest esse verus mediator, nec expiare peccatum, cum sit ipse peccator.